Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2483

Quelle:
Copyright:

boc regimen ſacerdotes cauſas ipſius regiminis penitus ignorare &c. Mox infra Tractationis οἰκονομια ita traditur: *In qua doctrina hoc ordine procedemus. Primo enim ſupponemus que presbiteri ſcire debent. Secundo que eciam in quolibet delicto conſiderari oportet. Tercio qualis debet eſſe penitencia. Quarto de mortalibus et venialibus peccatis. Quinto cui ſit confitendum. Sexto ſuper quibus ſit penitens ad epiſcopum remittendus.* Autor neque *Antonius de Butrio*, nec *Andr. Ep. Megarenſis*, nec *Joh. de Auerbach*, nec *Antoninus* Archiep. *Florent.* nec *Barth. de Chaimis* eſt. Quisquis vero fuerit, in Jure Canonico ſe admodum verſatum probat. Scripſiſſe non multo poſt Ordinum mendicantium initia ex iis liquet, quae *fol.* 20. leguntur: *Fratres predicatores et minores, de quibus nouelle plante ſunt — Cum ergo ſint oculi ihesu christi, vellem eos non tantum ſine trabe ſed etiam ſine feſtuca perpetuo perdurare* &c.

V. *fol.* 96. *Examen hereticorum buſſitarum wiklefiſtarum a ſacro concilio conſtancie ſpiritu ſancto congregato directum.* Lingua *Bohemica.* Examen ipſum conſtat Quaeſtionibus 16. A numero 17. ſequuntur Decreta varia v. g. de Juramento Regis praeſtando circa tuenda Eccleſiae Jura de citandis *Joh. de Jeſſenicz*, *Jacobello de Strziebra*, *Simone Tyſſnowienſi*, *Sim. Rokyczana*, *Chriſtano de Prachaticz*, *Mich. Czizek de Malenycz* et *Marco Reginaebradec.* de non communicando cum *Hermanno* ſuffraganeo *Pragenſi* et Sacerdotibus ab eo ordinatis &c. Tandem de Paenis Haereticorum ante et poſt mortem. Quaeſtiones latine indicatae ſunt *Cod.* DCCCCLXVIII. Decreta ſive Articuli extant et in *Collect. Concil.* et apud *Cochlaeum* in *Hiſt. Huſſit.* ut ibi dictum eſt, ſed in noſtro Exemplo *Bohemico* inter citandos non nominantur *Joh. Cardinalis*, *Zdenko de Loben* et *Zdiſlaus de Swierzeticz.*

DCXLIX.

Codex membraneus lat. Sec. 744
XV. Folior. 224. 8. luculente ſcriptus, rubricis diſtinctus, et, ut praenotatur, quondam *fratrum in maurbaco Ord. Carth.* poſt brevem Prologum, qui incipit: *Subſequens opuſculum meſti conatur fratris mederi doloribus* &c. et Capitulorum XV. Elenchum ita minio inſignitur: *Incipit liber qui vocatur remediarius abiecti prioris ſeu prepoſiti editus cuidam fratri qui dolebat ſe inepte regiminis officio exutum* &c. Initium: *Afflicto ſcripturus fratri quod tuus ihesu chriſte ſuggeſſerit ſpiritus* &c. Jam alibi indicatus. Ne pluribus immorer, typis prolatus eſt hic *Remediarius* a *Bern. Petzio Bibl. Aſcet.* T. II. *Ratisb.* 1723. p. 227. 8. ubi tribuitur Michaeli, qui Carthuſiae *Pragenſis*, tum *Gyriacenſis* in *Stiria*, demum *Agsbacenſis* in *Auſtria* Prior fuit, annoque 1401. deceſſit, notatus in *Bibl. Carth. Theod. Petreji* p. 246. tantum *de Cuſtodia Virginitatis* ſcripſiſſe, qui Tractatus in *Pezii Bibl. cit.* noſtrum antecedit. Quod *Petrejus Gyrium* ſive